



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

S.D.N.D. Gregorii Papae XIII. Constitvtio. Ne Agnus Dei benedicti minio
inficiantur, nec venales proponantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

noxium. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Dat. Romę Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo primo, Duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorietius.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII.
C O N S T I T U T I O.

Ne Agnus Dei benedicti minio inficiantur,
nec venales proponantur.

GREGORIVS Episcopus, servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.



Mni certe studio & opera à nobis procurandum est, ut ea tollantur, quæ non conveniunt, ac nostrum & aliorum bonorum piorumque Christi fidelium animos offendunt. Itaque providè considerantes certas formas innocentissimi Agni imagine figuratas, & per Romanos Pontifices stans temporibus consecrari solitas, sicut Agni puri & mundi à Summo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, nõ autem raro & coloribus vllis depictas, sed in sua albedinis munditię sanctificatas congruenti cum reuerentia teneri & conservari debere: Statuimus & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohibemus & interdiciamus, ne quispiam siue vir, siue mulier, Sæcularis aut Ecclesiastici, etiam Regularis, Ordinis ille sit, & quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquẽ illis imponere, aut quidquam, aliud superinducere, neque depingi, aut minari facere, nec illos venales proponere, seu tenere quouis prætextu, qualibet uè de causa audeat: verum eos albos, & mundos, Agnum illum purum & innocentem representantes
qui

qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri & censeri debere decernimus. Mandantes omnibus & singulis locorum Ordinarijs per vniuersum Christianum orbem constitutis, eorumque Vicarijs in spiritualibus generalibus, vt præsentem nostram constitutionem, & prohibitionem in suis quisque Ciuitatibus, & Diæcesibus statim publicare procurent, ita vt ad omnium notitiam quamprimum peruenire possit. Quicumque verò inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam quam, vt præfertur, incurrant, etiam alijs pœnis, ipsorum Ordinariorum seu Vicariorum arbitrio plecti & mulctari volumus & iubemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus etiam quòd præsentium literarum exemplis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici obliquis plena, eademque profusa fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo, Octauo Kal. Iunij. Pontificatus nostri, Anno Primo.

Ca. Glorierius.

LITTERAE, quod Regulares non possint absolvere
confitentes, à casibus Episcopo reseruatis

Illustriss. & Reuerendiss. Domine.



Vm à sacra congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt decretis Tridentini Concilij interpretãdis, Illustrissima Amplitudo tua quæsuerit, an Regulares ex Priuilegijs à Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnũ, possint in ijs casibus, quos sibi Episcopus reseruauit, absolvere confitentes; hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D. N. retulisset, illius Sãctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliaquẽ Priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluedi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ Amplitudini tuæ perpetuam uitæ tranquillitatem